



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

Symbolum XL. Thesei præclara facta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Socias Virgines à Religionis castæ proposito frustra avertere tentasset, repente oculis animi, corporisque captum, de loco iudicii se proripuisse; & propinquam ad domunculam delatum, in lebetes & alia vasa coquinaria incidisse, in eorum, tanquam puellarum oscula & amplexus ruisse, vultumque tam foedè fuligine denigrasse, ut omnium risus & ludibrium factus, novum velut monstrum & spectrum exagitaretur; donec per suos domum reductus, faciem quidem pristinam recepit, mentem tamen non mutavit. Lippeloo. 25. Decemb. In hac *Apularia* sapius amatores stolidi personam agunt, & inter illos Jason chorum ducit.

III. (e) Ægeus Theseum filium non agnovit, quid mirum? oculos ei fascinavit Cupido; animum dementavit Medea. Quod verò poculum amatorium (Græcis philtrum) è manibus bibitori excussit, in eo parentis officium implevit, cuius est curare, ne filii, filiæve insidiosis artibus, alloquijs, munusculis per lenones & lenas seducantur. O quoties venenum hisce poculis ab inconsulta juventute bibitur, & inde ad amoris impuri insaniam concitatur. Ovidius monet:

Philtrea nocent animis, vimque furoris habent.

Sed Ægeus ipse quoque habuisset opus amico, qui medicati virûs Scyphum projecisset, ne cum Medæ lenoncinio hauriret dolosam pestem. Adeo sæpe patres exemplis docent, quod verbis vetant.

(e) *Cura parentum & exempla.*

## SYMBOLUM XL.

### Thesei præclara facta.

7. & 12. *Metam.*

#### Ethicè.

1. Princeps fortis & sapiens.
2. Inconsulta fœderum societas.
3. Prudentia Politica & Polemica.
4. Amicitia vituperabilis.
5. Puellarum deceptio.
6. Symposiorum & comestationum tempestas.
7. Vita hominum Labyrinthus.
8. Minotauri effigies symbolum secreti.
9. Diabolus similis Proculi latroni.

**P**arentes Theseo fuerunt, quod dixi, *Ægeus* rex Atticæ, mater *Æthra*, Pithei filia, in Peloponneso regnantis. Qualis & quantus futurus esset, & adultior accessisset ætas, ejus pueritia ostendit. Fortè *Hercules* Traze-



Trazenem oppidum, Pithei regiam, venerat, & leoninam, quam pro veste gestabat, pellem de via fessus deposuerat. Conspicatus eas exuvias Theseus, etiamnum puer, ratusque leonem esse, nam apertus ejus rictus pro capitis tegumento serviebat Alcidi, securim e manu ferri rapit, belluam caesus, cum reliqui Trazeniorum pueri ad primum villosam pellem aspectum se in fugam dedissent. Postea ubi adolevit, Herculis, propinquitate sanguinis juncti, virtutem ac fortitudinem sibi imitandam ratus, multos latrocinij & maleficijs infames homines, diversis in locis e medio sustulit. Inter illos *Scironem* (quem alij vocant *Sinem* vel *Scinem*) qui in monte non procul Athenis, viatores excipere solitus, eos arborum ramis alligabat, quibus deinde laxatis, & in diversa redeuntibus, pendulos miserrime discerpebat. Idem multos mortales e precipiti loco dejecit & contrivit; quem ubi Theseus in suam potestatem redegit, idipsum genus mortis eum experiri coegit. Inestabat eandem regionem *Proustes*, horrendus latro, qui homines adigebat super lectum quendam ascendere; quo si longiores fuissent, pars pedum supereminens amputabatur; qui vero breviores, immani cum cruciatu ad mensuram spondae distendebantur. *Cercyon* quoque, peregrinos ad luctam secum ineundam cogenti, & necanti, necem intulit. *Corynetam* insuper Vulcani prolem, advenas ferream clavam trucidantem, e medio sustulit. Neque minoris animi adversus ferocissimas belluas extitit; nam taurum terribilem, totius Crete vastatorem, interemit. Eum taurum Neptunus *Minoi* Cretensium regi donaverat in victimam, sacra facturo. Quem cum sibi ob opimitatem servare Minos vellet, taurum efferavit adeo maris Deus, ut toti ferè insula vastitatem inferret. Ad hunc domandum missus Hercules, cepiteum, vinctumque ad *Eurystheum*, Mycenarum regem, qui ei pro Junone labores imperabat, perduxit. Ab Eurystheo dimissus, cum Atticam incurset, nemoque eum eo congruere sustineret, Thesei virtute est interfectus. *Aprum* quoque in agris *Calydonijs* (Civitas est, regionis Etoliae, & Silva hujus nominis, alia a *Calydonia* silva Britanniae, e qua saevi leones emittebantur) immisso Dianae, omnia populantem, conjunctis cum *Meleagro* viribus prostravit. *Herculi* quoque sociam navavit operam, quando jussu Eurysthei, formidabilem *Amazonum* exercitum, multis earum occisis, e Graecia rejecit. *Hippolyte*q; illarum reginae baltheum detraxit. Maxime vero Theseus fidem & fortitudinem suam probavit *Pirithoo*, Lapitharum (Thessaliae populorum) regi, Ixionis filio. Ejus amicitiae hoc fuit initium. Pirithous



virtutis, quæ de Theseo spargebatur, experiundæ causâ, boves illius è campo Marathonio (non procul urbe Marathone, regionis Atticæ) Miltiadis Atheniensium Ducis victoriâ claro, abegit. Motus injuriâ Theseus, abigeum è vestigio persequitur; Pirithous nihil territus ejus adventu, insequenti fert ultro se obvium. Admiratus eam animi magnitudinem atque corporis præstantiam Theseus, primò in colloquium, mox in arctissimam amicitiam venit. Neque diu post factum est, ut specimen sincerissimæ, constantissimæque fidei luculentum daretur. Pirithous *Hippodamie* (quam aliqui Hippodamen, & Hippocatiâ nominant, distinctam ab Oenomai, regis Elidis & Pisarum, filia, de qua suo loco) procor, Centauros, quòd essent sponsæ cognati, convivio excepit. Qui simul ac mero incaluerant, omnia turbare, & sponsam Pirithoo eripere cœperunt. Coortâ pugnâ, Theseus amicissimo capiti fert auxilium, & compluribus Centaurorum trucidatis, Hippodamiam vindicat. Post hæc inter eos convenerat, ut uxorem, nisi è Jove natam, nullam ducerent; & cum alia eo tempore haud nosceretur, quæ divino genere oriunda esset, præter *Proserpinam*, Plutonis conjugem, ad rapiendam illam, simul profecti sunt ad inferos. Verum Pirithous (ut quidam scribunt) primo statim impetu à Cerbero, tricipiti Plutonis canine, dilaceratus est: alij referunt, eum cum Ixione parente, & alijs Centauris mole faxi imminentis semper capiti, jam jamque lapsuri, perpetuò cruciari. Maro. 6. *Æneid.*

Quid memorem Lapithas, Ixiona, Pirithoumque,  
Quos super atra flix jam jam lapsura, ruenti  
Imminet assimilis.

Theseus frustra opem ei ferre conatus, in Ditis potestatem venit, & ab eo in catenis servatus est, donec Hercules ab Eurystheo ad inferos missus, ipsum liberavit, secumque Cerberum vinctum, frustra que reluctantem, in lucem protraxit. 6. *Æneid.*

Tartareum ille manu custodem in vincla petivit,  
Ipsius à folio regis, traxitque trementem.

Cæterum Theseus, cum nondum esset adolescentiam egressus, eximium charitatis in patriam, ac fortitudinis argumentum præbuit. Minos Cretensium, uti memoratum, rex grave bellum Atheniensibus intulit; cujus causa fuit cædes *Androgei*, Minoë geniti. Is cum athleta esset egregius, & Athenis palmam obtinuisset, Egeum præcipuè victoria illa (quod invidia solet) contristavit; cujus etiam insidijs adolescens occubuit.



occubuit. Vicit bello Minos, & barbarum Atheniensibus tributum imposuit. In annos namque singulos cogebantur Athenæ septena puorum, totidemque puellarum forte delecta corpora in Cretam mittere, quæ juvenus Labyrintho, amplissimo & inextricabili carceri inclusa, *Minotauro*, monstro horrendo, & biformi (nam hominis & tauri figuram referebat natum ex Pasiphaë Minois uxore flagitiosissima.) in pabulum obijciatur. Theseus miseratus civium suorum calamitatem, fatius esse duxit mori fortiter, quam vivere turpiter, & imperare civitati, quæ tam miserabile tributum hostibus pendere cogeretur: igitur constituit ultro eandem suis cum civibus sortem subire. Conscendit unà cum damnatis navigium, venit in Cretam, in Labyrinthum cum cæteris includitur, vel devorandus à Minotauro, vel inter inexplicabiles ejus loci flexus fame absumendus; omninoque pereundum erat, nisi mortem ante oculos certam præsens in corpore virtus avertisset. Jam in conspectum venerat crudele monstrum, hiabant in prædam terribiles rictus, Theseum absorpturi. Non deseruit juvenem fortissimum animus; vim suscitavit ira; hastam, cujus ferrum è patria secum clam attulerat, summo quo potest nisu intorquet in belluam, & omnibus attonitis, exanimem in terra porrigit. Defunctum hoc periculo, major etiam cura sollicitat, quinam ex ambagibus illis horrendis evadat. Iterum virtuti favere Superi; mentem injiciunt *Ariadne*, Minois filia, salutem expediendi Theseo. Illam iam antè miseratio ceperat regij sanguinis, & indolis ad summa quæque nata. Ergo juvenem è funestis illis erroribus & anfractibus explicatura, utitur consilio, quod à Dædalo Labyrinthi architecto acceperat. Lini glomerem per muros injicit; quò Theseus prehensò filò, cæca regebat vestigia; extrema glomeris foris devolvebat Ariadne. Hunc in modum captivus evadit salvus & incolumis unà cum civibus in eandem sortem condemnatis. Atque ut beneficia concilient amorem, cum non haberet animi grati præstantius donum, quam seipsum, liberatrici se in conjugem donavit. Illa delectata tam faustis nuptijs, cum eo clam ex Creta profugit. Hic gloria suæ maculam asperfit Perseus, (quod supra in Jasonem accusavimus) nam cum delatus esset ad insulam *Naxos* (in mari Ægæo sitam, unam ex Cycladibus) comitem suam & sponsam, longè lectissimam, optimèque de se meritam, & somno fortè correptam destituit; sive quòd domi nollet uxoris peregrinæ beneficijs obnoxius vivere: sive quòd Baccho cedendum erat, Ariadnen sibi, præ mortali sponso, deposcenti. Hic novæ nuptæ coronam



pretiosissimam imposuit; postea translata in coelum, & inter sidera septenis stellis fulgurantem.

## Ethica.

I. (a) Theseus vir verè fortis, & acerrimus salutis publicæ defensor fuit. Quid enim sunt latrones, quid variæ belluæ à Theseo domitæ, in regnis & provinciis, nisi Turbatores pacis, & communis Boni eversores? Theseum ego magni animi Principem interpretor, qui primis à cunabulis tam fortiter quam sapienter facere doctus, nihil antiquius habet, quam quietem præstare subditis, vias à prædonibus purgare, potentiorum violentiam ab infirmioribus arcere. Qui, si taurus aliquis, aut aper ferus immineat, *Bellum* intelligo, præsentis animo ac consilio occurrat, antequam irrumpat. Qui disciplinam & honestatem morum ac legum tueatur, operamque det, ne juvenus (quæ est seminarium civium) Minotauro, monstro turpissimo immoletur, dum institutionis expers, vel ignavo otio torpescit, vel voluptate lasciva dissolvitur, vel nefariâ doctrinâ corrumpitur, & in tributum ore penditur.

Theseus pro charitate patriæ pericula suscepit, exantlavitque. Ad depellendas injurias necessario arma sumuntur; & quemadmodum est modestiæ conquirere, nisi injuriâ affectus fueris; ita stultitia est & improbitas, illatas Reipubl. injurias non ulcisci. Plato. 5. de Rep. & Aristot. 7. Polit. c. 8. *Bellum autem*, inquit Tullius, r. offic. *ita suscipiatur, ut nihil nisi pax quasita videatur.* Neque frustra Athenienses Palladem armatam pinxerunt; quia qui desiderat pacem, præparat bellum. Armis imbueda juvenus in umbra, quibus utatur in sole. Theseus ab aspectu pellis leoninæ didicit in leones vivos insurgere, juxta illud Horatii epist. 2.

----- venaticus ex quo

Tempore cervinam pellem latravit in aula,  
Militat in Silvis catulus.

II. (b) Meminerit Princeps (qualis Theseus fuit) fœdera non temerè cum quibusvis esse ineunda. Theseus societatem feliciter cum Hercule, quam cum Phithoo junxit. Ab hoc mutuam opem accepit; illi præstitit; nec satis prudenter; cum Centauris barbaris & ebris pugnandum fuit. Valeant fœdera; sed quæ bona fide, bonâ causâ, & cum emolumento contracta. Est enim virtus unita fortior. *Non absque Theseo* (adagio dicitur) ne Hercules quidem. Et Theseus nihil sine Hercule; præsertim ubi

Plato

(a) *Principi fortis & sapiens.* (b) *Inconsilia fœderum Societas.*



Plutoniis vinculis detentus didicit, quid sit in orcum, amici gratia (Pirithoi) descendere; & quid, fortiorem per amicum inde eluctari. Theseus viris fortissimis auxilio fuit, ut Meleagro in conficiendo apro Calydonio, Pirithoo pugnanti contra Centauros, Herculi contra Amazonas, nulla ferò relato præmio, quod Herois est, virtutem & laudem, non mercedem spectantis.

III. (c) Jam quanti, quamque intricati atque implexi sunt in Aulis ac negotiis Principum Labyrinthi? peribit hinc Theseus, nisi per fidam Ariadnen explicetur; *Prudentiam* intelligo *Politicam & Polemicam*, fidelesque consiliarios, quorum directione ac ductu secunda ponat vestigia Principes. Hesiodi sententia est apud Lips. de civil. doct. lib. 3. c. 2.

Laudatissimus est, ipse qui cuncta videbit,

Sed laudatus & is, qui paret recta monenti.

Et Plinius in Paneg. Traiani: Singuli decipere & decipi possunt: nemo omnes: neminem omnes fefellerunt. Confirmat Salomon Prov. 24. *Salus, ubi multa consilia.* Veluti multa in glomere fila; hæc quamvis subtilia, plus possunt, quam crassi rudentes, quia minorem voluuntur in globum, ut legantur securius; & citius explicantur in longum, quò ducant plures. Vir doctissimus merito Bellum Labyrintho comparat, quem cuique semper ingredi licet, sed ingresso non semper egredi; ab eo sumptus absorbentur (Minotaurum cogita) existimatione prius concepta majores, Sfortia Palavicin. lib. 2. hist. Concil. Trid. c. 13. Et Sallustius in Jugurtha: Omne bellum sumitur facile, ceterum ægerrimè desinit; nec in eisdem potestate initium & finis est. Illud incipere etiam cuivis ignavo licet; deponitur, cum victores velint.

IV. (d) Peccavit Theseus in amicitia cum Pirithoo contracta, temerè magis, quam sapienter. Nam quid? Pirithoo visum est uxorem ab inferis accersere; ergo amicus eius usque ad Stygem sequendus erat? In proverbii refertur: *amicus usque ad aram.* Quod à Pericle, Duce Atheniensi clarissimo, profluxit; quem cum amicorum quispiam rogaret, ut in causa quadam, sua gratia falsum dejeret, reposuit *δὲ με συμπράξαι τῶν φίλων, ἀπὸ ἀρχαίων βίωντων. oportet me commodare amicis, sed usque ad aras.* Olim enim jurantes aram tangebant. Hæc igitur prima lex, inquit M. Tullius, in amicitia sanciat, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati. Contra quam legem peccavit C. Blossius Cumanus, qui T. Gracchi in conjuratione focius, cum, ut sibi ignosceretur, causam afferebat, quando tanti Gracchum fecisset, ut quidquid ille vellet, sibi faciendum putaret.

(c) *Prudentia Politica & Polemica.* (d) *Amicitia vituperabilis.*



taret. Rogatus à Lælio tum temporis consule, etiamne si te in Capitolium faces ferre vellet? respondit, non voluisset id quidem: sed si voluisset, paruissem. Videtis quàm nefaria vox: & herclè ita fecit, vel plus etiam, quàm dixit. Hæc Cicero. Non minùs peccavit Theseus, in Tartarum usque, Pirithoi sui causa sese inferens. Quòd multi, prò dolor! amulantur, qui ne deserant amicum, deserunt honestatem, famam, salutem, cœlum, Deum, De Theseo Virgilius ab Ænea conspecto, sed tunc, cum mortuus ille, nunquam ampliùs ad viventes rediret. 6. Æneid.

----- Sedet, æternùmque sedebit

Infelix Theseus, Phlegyasque (e) miserimus omnes

Admonet, & magna testatur voce per umbras:

*Discite justitiam moniti, & non temnere Divos.*

Addo ego: Discite, non in extrema vos pericula conjicere, hominùmque pluris favorem & amicitiam, quam Numinis æterni gratiam facere. Hic occurrit mihi, quod Lucianus in dialogo *Toxare* proponit amicitie paradigma duos inter juvenes, natione Scythas, quorum alteri *Amizoca*, alteri *Dandamidi* nomen facit. Ille à Sauromatis hostibus captus, cum navi abduceretur, in clamavit abiens amicum, & fœderis admonuit more patrio sanciti: sanguine scilicet è digitis ab utroque in calicem immisso, tinctisque priùs gladiatorum mucronibus, hausto. Quò Dandamis auditò, spectantibus omnibus, undis sese committit, classem insequitur natando, inque littus evadens, ad Ducem hostilem perducitur, seque vadem pro amico offert. Lytrum postulatus, respondet, nihil sibi pretiosius esse oculis, hocse cupere se redemptioni charissimi capitis impensos. Homo barbarus cum alia prædæ spes non esset, utrumque jubet ipsi erui, simulque cum Amizoca dimittit, eodem facto crudelis & misericors. Reversi domum amici cum essent, Amizoca omnia sibi cum Achate suo communia redditurus, etiam cæcitatibus voluit esse particeps: geminum effodit sibi oculum, hoc charior futurus suo Dandamidi, quò similior. Facinus omnium plausu celebratum, decreti honores publici, & alimenta ex communi arario suppeditata. Ingeniosus hoc finxit Lucianus, quàm prudentiùs; est enim hæc cæca amicitia, & Scythico ingenio digna. Nam si officiorum paritas non ab animo modò, sed etiam à corpore petenda sit, neque luscus cum oculato, gibbosus cum recto, neque brevis cum longo, aut parvus cum magno amicitiam inire poterit.

(e) *Leionis pater.*

V. (f)



V. (f) Malè egit Theseus sponsam tot nominibus sibi devinctam, deserendo. Ubi fides promissorum? ubi relatio gratiæ? ubi sacri fœderis (matrimonium intelligo) reverentia; quid deliquit Ariadne, nisi quia hominem in peregrinum, captivum, morte damnatum, nimis pia fuit? quia casus in incertos secuta est fugientem? quia maluit exul esse alibi, quàm felix domi? Hic juvenum desultorius est amor; hæc levitas illorum, quorum constantia & fortitudo celebratur. Habuerit causas Jason, cur Medea non placeret amplius; quod enim malè coalescit, non malè dissolvitur; veneficia secum in dotem attulerat illa. At cur Ariadnen deseruit Theseus, quam adeo virtus commendabat? nempe simplices sunt puellarum animi, & nimium creduli: pollicitis induentur falsis in con nubia. Sub spe maritalis tori quot fraudes latent! Epithalamio futuro præfultant Veneres, larvas amantium indutæ, finguntur risus & joci, obtruditur palpum, intenduntur offuciæ, capitur innocentia, pudore spoliatur. In aucupio tam doloso quot incautæ irretiuntur animæ! Capta fuit Ariadne, sed innocenter; cuius utique meruit virtus inter astra habere sedem, Theseus, uti retulimus, torquetur apud inferos, Poëtarum judiciò. Sæpe namque fit, ut quem nimia felicitas extulit, & secunda gestarum rerum fama Diis pœnè miscuit, eum detrahant in imum vitia, faventio rem plerumque fortunam comitantia.

VI. (g) Pugna Centauros inter & Lapithas vino graves, exorta, quid moneat, docet Horatius lib. 1. Od. 18.

At ne quis modici transiliat munera Liberi  
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero  
Debellata.

Describit Ovidius insaniam ebriorum:

----- ardescunt germani cæde bimembres:  
Certatimque omnes uno ore arma, arma loquuntur;  
Vina dabant animos; & primâ pocula pugna  
Missa volant, fragilésque cadi, curvique lebetes,  
Res epulis quondam, nunc bello & cædibus aptæ.

Id hodièque vinariis & cervisariis in tabernis factitant opifices & agrestes coloni, qui postquam mensam in orbem coronarunt cubitis, mediocribus initio se poseunt poculis, paulatim majoribus; denique amyftide bibunt; uno scilicet haustu & ductu bicongios, & tricongios cantharos exhauriunt; inde fluctuare cerebrum, lingua solvi in jocos illiberales, dicteria, scommata, dissonis clamoribus personare ædes, conspurcari vomitu

E c

pavimen-

(f) Puellarum deceptio. (g) Symposiorum & comessationum tempestas.



pavimentum, magis ac magis incendi caput, prurire pugni, à verbis veniri ad verbera, ab ira ministrari tela, corripit lances, disci, orbes, salina, crateres, cirneæ, sedilia, & quidquid furor in manus rapit: exoculari fenestræ, mutuis in capitibus frangi vasa samia, lignea, stannea, cuprea: miscerunt merum & sanguis, omnia agi lymphaticorum more: donec fessi plagis vel accipiendis vel inferendis, operiti tuberibus, vacuati crumenis, extra fores eliminantur à caupone. Exhalata per somnum crapulâ, dolenter sentiunt altera die, quæ sibi, quæque rei suæ domesticæ Bacchus inflixerit vulnera. Digna profectò his compransoribus & compotoribus catastrophe. Neque apud viliores tantum fortis contribules fervere genus hoc convivia. Simile quandoque symposium nobilior hominum conditio celebrat. Ovidius lib. 5. refert in nuptiis Persei & Andromedæ (de quibus nos supra) pugnam Cephendorum Procerum exortam, quorum unus.

----- altis

Extantem signis, multaque in pondere massæ  
 Ingentem manibus tollit cratera duabus,  
 Infligitque viro; rutilum vomit ille cruorem.

Et M. Tullius Orat. in Pisonem, Consulum perpotationem cum Lapitharum & Centaurorum convivio comparat. Et triumvir Antonius ille, an modestius se gessit, quam allata hæc turba, Centauri scilicet & Lapithæ, ex parte hominem, ex parte equum referentes, hoc est, semihomines & semiferi, quales evadunt, quicumque per ebrietatem, figuram quidem hominis retinent, sensum tamen hominis & rationis evertunt: *bimembres & biformes*, ex homine, bestiaque compositi. Sed ad Antonium Romanorum nobilissimum simul & spurcissimum. Loquatur Cicero ejus elegantias, Philipp. 2. orat. Qui posteaquam gravissima quæque flagitia ei exprobravit, loquamur, ait, potius de nequissimo genere levitatis: Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini in Hippæ nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset in populi Romani conspectu vomere postridie: ô rem non modò visu fœdam, sed etiam auditu, si inter cænam, in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? in cœtu verò populi Rom. negotium publicum gerens, magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens frustis esculentis, vinum redolentibus, gremium suum, & totum tribunal implevit. Quid fœdus? Hoc possunt, qui non possunt, quod Antonius potuit. Miles erat, & timendus; in castris Martem egit, sed amicum Veneri. Quid ad Antonium illi, quorum

rum



rum tota vita est assidere foco, volvere cunas, in uxorum servitijs stare, inter plumas viros se præbere, dies ebrietate, noctes libidine distinguerè? Cicero *nequissimum levitatis genus* ebriam Antonij immunditiam appellavit; hoc homini gentili naturæ lex dictavit. At Paulus, Orator Apostolicus, haud paulò gravius intonat Christianis, cap. 5. ad Galat. ibi cùm inter alia scelera, *iras, rixas, dissensiones, ebrietates, commestationes* (quæ solent plerùmque conjungi) enumerasset, subjungit: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Brevis clausula, sed æternùm duratura. Agnovit hoc ethnicus Philosophus Heraclitus, qui in seditione quadam rogatus à civibus, ut concordiam suaderet, suggestum ascendit, calicem frigida complevit, infusam digito farinam miscuit unà cum pulegio, idque bibit, & hinc discessit: nimirum reipsa loquens, pleràsque seditiones ex luxu, rerùmque superfluarum usù oriri: inter eos autem facilè constare concordiam, qui modicis ac tantùm necessarijs essent contenti. Plutarchus de garrulitate.

VII. Labyrinthus, in quem inclusus Theseus, varias explicationes habet. Audiamus priùs ejus descriptionem ex lib. 8. Metam.

Dædalus ingenio fabræ celeberrimus artis  
 Ponit opus: turbâtque notas & limina flexu,  
 Ducit in errorem variarum ambage viarum,  
 Non secus ac liquidis Phrygijs Meandrus in undis  
 Ludit, & ambiguo lapsu refluitque, fluitque  
 Occurrénsque sibi venturas aspicit undas:  
 Et nunc ad fontes, nunc ad mare versus apertum  
 Incertæ exercet aquas: ita Dædalus implet  
 Innumeras errore vias: vixque ipse reverti  
 Ad limen potuit: tanta est fallacia tecti.

Et Maro 5. Æneid.

Ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta  
 Parietibus textum cæcis iter, ancipitèmque  
 Mille vijs habuisse dolum, quæ signa sequendi  
 Falleret indeprehensus & irremeabilis error.

(b) Est enimverò, *Labyrinthus* typus vitæ & ingenij humani millèque laborum, periculorum, errorum. Erenim quàm multi mortalium in ambitionis diverticula, amicitia cæcas latebras, dominationis cupiditatem, ultionis desideria, fastus ac superbiae mæandros, præcipites & errabundi abeunt, ut seipfos non noverint ampliùs, nec coëptorum suorum in-

E c z

veniant

(b) *Vita humana Labyrinthus.*



veniant filum aut exitum. Quid enim sunt mortalium cogitationes *in-  
mida & incerta providentia* Sap. 9. quàm cæcorum itinerum ambages,  
&, ut Plinius loquitur, inexplicabiles occurfus & recursus, denique nul-  
lius exitus, nisi per Ariadnen seu virtutem. Quis verò explicet, qua-  
les ambages, quàm dubios viarum flexus in dictis suis, factis, pactis,  
conventis implicent *Politici*; quot modos inveniant dicta indicta, facta  
infecta reddendi, aut simulandi; quot ancipites dolos, & mille vijs in-  
deprehenfas fallacias excogitent, idem affirmandi & negandi, & quæ  
certa videbantur, dubio sensu suspendendi? Et quot in gravissimo,  
periculosissimoque Religionis negotio sunt involutiones, perplexitates,  
confusiones opinionum? Quàm multi cæcis errantes in orbem vesti-  
gijs, ne Deum quidem ipsum in hoc Labyrintho inveniunt? Quàm  
multi providentiam ejus inficiantur: quàm multi æternæ Veritatis dicta,  
mandatæque vel in reprobum detorquent sensum: vel ab ijs morum pra-  
vitate in exitium suum deflectunt, & circumvertuntur? De quibus o-  
mnibus illud dici posset, quod vulpes de antro leonis: *vestigia terrent,  
omnia introrsum spectantia, nulla retrorsum.* Nonne verum de his illud  
Jobi 6. *Involuta semita gressuum eorum.* Et quod Psalter regius dixit  
psal. 139. *In circuitu impij ambulat.* Quærit S. Augustinus in dictum  
psalmum: Quid est circuitus ipsorum? ut circumcant & non stent: in  
gyrum eant erroris, ubi iter est sine fine; qui enim in longum it, aliunde  
incipit, alicubi finit; qui in gyrum it, nusquam finit; ipse est labor  
impiorum, ne quidem æternitatis cruciabilis circulo absolvendus. Eva-  
sissent, si lumen Rationis, si Legem divinam, si judicium potiùs S. Ma-  
tris Ecclesiæ, tanquam fidissimæ Ariadnæ, quàm sensum suum sequi vo-  
luissent.

VIII. (1) Minotauri effigiem (quæ scilicet superiore sui parte  
semivirum Centaurum cum clava, inferiore taurum referebat) inter sig-  
na militaria Romanis ideò fuisse scribit Festus, quòd non minùs occul-  
ta esse debeant consilia Ducum & Principum, quàm fuerit olim domi-  
cilium Minotauri labyrinthus: idque vel maximè in bellicis expeditio-  
nibus observari debet. Id noverat exactè Metellus Macedonicus, qui  
sciscitanti cuidam ex amicis, qua ratione tam subito consilio uteretur:  
Si ipsam, ait, vestem scirem consiliorum meorum esse consciam, eam  
confestim abijcerem. Etenim *σύμβολος ἰερὸν ἐστὶ χρῆμα.* *Consultor res est  
sacra.* Itaque Philippides Comicus, cùm Lysimachus ipsi dixisset, se  
velle de suis aliquid rebus impertiri: Quidvis (inquit) ò rex, modò  
ne quidpiam arcani. Vide Alciatum Emblemate XII. IX.

(1) *Minotauri effigies symbolum secreti.*



IX. (k) Quia mentio *Procutis* latronis in gestis *Thesei* injecta est, afferam, quæ *Stengelius* cap. 14. *Labyr.* disseruit. *Procutis*, inquit, notissimæ crudelitatis prædo, obvios quosque de insidijs exceptos, & domum abstractos, suo grabato applicabat; & si proceriores essent, amputatis pedibus decurtabant; si breviori corpusculo, funibus alligatos, & intolerabili cruciatu affectos, nervorum detorsionibus extendebat. Talis prædo animarum est diabolus, omnes sibi cupit facere æquales. Abundantes spoliando cruciat & tentat: egentes desiderijs extendit & torquet. Igitur divitias dat, ut auferendo efficiat impatientes: aufert, ut alliciendo, cupiditate accendat. Hæc ille. *Causinus* verò in *Sym-*bolis per *Procutem* intelligit Hæreticos SS. *Scripturæ* depravatores, qui nunc demunt, nunc addunt de suo, prout *Spiritus fanaticus* dicitur.

(k) Diabolus similis *Procuti* latroni.

## SYMBOLVM XLI.

### Formicæ in homines,

7. *Metamorph.*

### Ethicè,

1. Formicarum respublica, & adumbratæ virtutes. 2. Homines fungino genere.

**Æ**acus Jove & *Ægina*, *Æsopi* Bœotiorum regis filia, natus, cum *Æginam*, *Ægei* maris insulam, de nomine genitricis dictam inco-  
leret, & gravis pestilentia, irâ *Junonis* immissa, omnem ferè po-  
pulum absumpsisset, ad preces ipse conversus, enixè petiit à parente deo,  
ut vel redderet sibi cives pestifera lue sublato, vel sese defunctis aggrega-  
ret. Audita fuisse vota, mox editò signò ostensum est. Fortè suberat pre-  
cantis oculis annosa quercus, è *Dodonæ* furculo plantata. Per hanc ar-  
borem longo commeabant agminè formicæ, grana gestantes ore. Mira-  
tus ingentem numerum *Æacus*, rogavit *Jovem* tantam civium copiam,  
quantam vidisset formicularum repentium, ad inanitas insulæ suæ civitates  
explendas. Annuit *Jupiter*; & mox intremuit arbor, ominosùmque, ra-  
mis sine vento commotis, sonum excitavit. Cohorrescit *Æacus*, & terræ,  
stipitiquè sacro osculum impertit, non sine spe felici successûs. Noctu  
composuit ut in somnum oculos, objicitur eadem quercus dormienti, visâ-  
que